

# EPISTULA LEONINA

## CCXXVII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM VICESIMAM SEPTIMAM (227) !**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>02-05</b>
<b>»EIA, ME HERCULE, REM QUAVIS GUTTA MINOREM...«.....</b>	<b>06</b>
<b>HUMBOLDTIANA SEMINARIA INTERRETIALIA.....</b>	<b>07-10</b>
<b>DE CRYSTALLI NIVALIS STRUCTURA QUID SCRIPSERIT IOHANNES KEPLER.....</b>	<b>11-13</b>
<b>DE CONIECTURA KEPLERIANA AB HALES DEMONSTRATA.....</b>	<b>14-16</b>
<b>IOHANNIS KEPLERI STRENA SEU DE NIVE SEXANGULA (I).....</b>	<b>17-21</b>
<b>EPISTOLIA IOHANNIS KNIJFF BATAVI INTERPRETIS MAUPASSANTIANI.....</b>	<b>22</b>
<b>RECORDATIO (Maupassant/ Knijff).....</b>	<b>23-30</b>
<b>CORRIGENDA ET SUPPLENDIA.....</b>	<b>31</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	<b>32-35</b>

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Cara Lector,***



**DIE VENERIS NON MANIFESTABITUR CONTRA CLIMATIS CALEFACTIONEM**

*Eia, me Hercule, quantum nivis cecidit apud nos! Hodie bene mâne thermometro in maeniano nostro posito mensurati sunt quindecim gradûs Celsiani sub zero! Quonam modo hoc fieri potuit? Nonne meteorologi mandatu gubernationis iam pridem hariolati sunt in Germaniâ carboneo dioxydato pollutissimâ nullam iam nivem umquam casuram esse? Mirum! Quid cogitemus de vaticiniis Cassandrulae Sueticae? Iamiam desinat blaterare, incipiat discere.*



### **ECCE CLIMATOLOGUS QUI OLIM MONUIT DE CALEFACTIONE GLOBALI**



**CLIMATOLOGUS INGENIOSISSIMUS NUNC COGNOVIT  
CARBONEO DIOXYDATO NOCENTISSIMO GIGNI ETIAM NIVEM....**

*E maeniano nostro cum spectamus nobis arridet pulcherrima nix sole fulgentissima. Matutino tempore caligatus per silvam cucurri nivosissimam, praeter fluvium, praeterque lacum glacie obiectum, per plagas candore nivali amoenissimas. Ah bene! Iuvat et delectat corpus exercere in aëre recenti, fructuum holerumque recentium comedere copias sufficientes, ut confirmemus systema nostrum immunitatis! Haec sunt vera remedia et medicamenta prophylactica,*

*non mascae suffocantes et incarceratio insulans et experimenta  
vaccinandi maximē dubia. Nam homo homini res sacra sit! Ne homo  
fiat cuniculus experimentalis!*


*De Centro Studiorum Humboldtiano, quod est in Universitate  
Ulmensi, legas, quaeso, cara Lectrix, care Lector. Ibi iam ex  
quindecim annis docet Leo Latinus **linguas Latinam, Graecam,  
Sanskritam**; sed hōc semestri primum non docet in praesentiā  
auditorum reali vel naturali, sed virtuali vel interretiali. Utimur autem  
Magno Botone Caeruleo (BBB = Big Blue Button), id est systemate  
conferentiarum magnetoscopicarum, quod appellatur “Moodle”,  
quale est etiam in usu scholarum. Cum verisimile sit proximo quoque  
semestri seminaria factum iri interretialiter, iam nunc te invito, ut  
particeps fias Colloquii Latini (in quo colloquemur Latinē) aut  
lectionis Graecae aut cursūs linguae sanscritae discendae (ubi  
loquemur theodiscē). Nonne themata tibi placent? Mense Aprili  
accuratius indicabo dies et condiciones participandi.*

*Et hac in Epistulâ Leoninâ et sequentibus praebeo programma verē  
hiemale et nivale: Nam agitur de nive et de crystallis nivalibus, quas  
**Iohannes Kepler** astronomus, physicus, mathematicus ingeniosissi-  
mus indagans scripsit pulcherrimum libellum Latinum, c.t. **STRENA  
SEU DE NIVE SEXANGULA**. Quem libellum Kepler dedicavit  
Iohanni Matthaeo Wacker von Wackenfels (1550-1619), aulico sui  
fautori. En lege de coniecturâ Keplorianâ eiusque demonstratione  
Halesianâ necnon verba ipsius astronomi ingeniosi mirabiliter Latina  
et doctissimē et lepidissimē dicta.*

*Porro valdē gaudemus, quod **Iohannes Knijff** Batavus Americensis  
denuo nobis misit fabulam Guidonis de **Maupassant** delectabilem  
lepidâ veste Latinâ indutam.*

*Ergo tolle lege mirare et fruere hieme nivosissimâ!*





AN INCONVENIENT TRUTH  
 ECCE SCIENTISTA MANDATIVUS  
 BELLULLO LUCELLO PRAEBITO  
 RESULTATUM EFFICIENS CUM MANDATO  
 CONGRUENTISSIMUM\*

## Medullitus Te salutat

**Dr. Nicolaus Groß**  
**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

## LEO LATINUS



**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**  
**Die Dominicâ, 14. m. Febr. a. 2021**




---

\* cfr <https://www.fr.de/wissen/schwerer-vorwurf-an-horst-seehofer-csu-politische-vereinigung-von-forscherinnen-in-geheimdokument-90197291.html>. ---  
<https://www.bundestag.de/dokumente/textarchiv/2021/kw06-de-aktuelle-stunde-wissenschaft-821480> ----  
<http://www.pi-news.net/2021/02/curio-so-hat-die-regierung-die-bevoelkerung-in-panik-versetzt/>

# **EIA ME HERCULE REM QUAVIS GUTTA MINOREM...**



**IOHANNES KEPLER**  
(1571-1630)

**»Eia me Hercule, rem quavis gutta minorem, figuratam tamen, eia strenam exoptatissimam nihil amanti & dignam quam det Mathematicus, Nihil habens, Nihil accipiens, quia & de coelo descendit & stellarum gerit similitudinem.«**

# **HUMBOLDTIANA SEMINARIA INTERRETIALIA**

- 1. COLLOQUIUM LATINUM**
- 2. CURSUS LINGuae SANSCRITAE**
- 3. LECTIO CHARACTERUM THEOPHRASTI**

**HAEC SEMINARIA INTERRETIALIA  
PROXIMO SEMESTRI AESTIVO  
MODERABITUR  
DR. NIKOLAUS GROSS.**

**QUAE FIENT SUB AEGIDE CENTRI STUDIORUM  
HUMBOLDTIANI  
(Humboldt Studienzentrum).  
QUOD INSTITUTUM SPECTAT  
AD UNIVERSITATEM STUDIORUM ULMENSEM  
(Universität Ulm).**

**CENTRI HUMBOLDTIANI DIRECTRIX EST  
PROF. RENATE BREUNINGER.**

**Nomen dari participando poterit mense Aprili aut telephonice aut  
interretialiter. Observa situm interretiale Centri Studiorum  
Humboldtiani, qui est hic qui sequitur:**

<https://www.uni-ulm.de/einrichtungen/humboldt/lehrveranstaltungen/lehrveranstaltungen/>

**HUMBOLDT-STUDIENZENTRUM - Sommersemester 2021**  
**CENTRUM STUDIORUM HUMBOLDTIANUM – Semestre Aestivum a.2021**

**COLLOQUIUM LATINUM:**  
**Quomodo Latinē loquamur de rebus modernis.**

**Exercitium interretiale Centri Studiorum Humboldtianum**

**Quod linguā Latinā loquens moderabitur Dr.Nikolaus Groß**

„Colloquium Latinum – quonam modo hoc fieri potest? Latinē loqui de rebus modernis?“

Certē hoc fiet! Sed primo oportet errorem corrigamus: Latinitas non est emortua, eadem omnino numquam mortua fuit! Nam ex quo interiit Imperium Romanum, nullus umquam dies fuit, quin ulli homines cogitarent, scriberent, loquerentur linguā Latinā.

Multa sunt fora interretalia et circuli colloquiorum, internationales cursūs feriales, seminaria, conventūs, in quibus homines variarum nationum nullā aliā linguā nisi Latinā loquentes optimē inter se intellegant.

Esne nunc curiosus? Didicistine linguam Latinam in scholā aut in universitate studiorum, sed numquam eādem locutus es? Si ita est, te medullitus invito ad COLLOQUIUM LATINUM Centri Studiorum Humboldtiani participandum.

Ut „sermone Europae patrio“ loquens gaudium percipias quam mirificantissimum, medullitus tibi exoptat

**Dr. Nikolaus Groß**

Dies colloquii: dies Martis, h.16.30-18:00

**HUMBOLDT-STUDIENZENTRUM - Sommersemester 2021**  
**SANSKRIT für Anfänger und Fortgeschrittene**  
**Cursus linguae sanscritae tironibus et progressis destinatus**

**Exercitium interretiale Centri Studiorum Humboldtianum**

**Quod linguâ theodiscâ loquens moderabitur Dr.Nikolaus Groß**

**Carae Humboldtianae, cari Humboldtiani,  
carae sermonis palaeoindici cultrices carique cultores novi et veteres,**

omnis homo, qui umquam coepit accuratius discere linguam sanscritam, animadvertisit inde ex eo tempore se deditum esse atque obnoxium fructui mentis illecebrosa, a quo tam aegrê abstinebit quam illi comites Ulixis Homerici a fructu Lotophagorum. Eadem enim postea vix umquam id continget, ut prorsus defugiat hunc sermonem mirabilem animo inflammato colendum, quod sit instrumentum rationis logicae et meditationis et analysis phoneticae et grammaticae necnon philosophicae.

Alumnae alumnove Humboldtiano procul dubio est officium aliquando se dedere studiis sanscriticis: Nam idem oportet sciat Vilelmum ab Humboldt Londini Francisco Bopp docente per paucos menses linguam palaeoindicam tantâ cum animi intentione et inflammatione et subtilitate didicisse, ut intellegerer carmen Indorum omnium illustrissimum et maximê philosophicum, quod inscribitur „Bhagavadgîta”, et sentiret idem esse omnium operum generis humani philosophicorum pulcherrimum atque animos commoventissimum.

Utemur libro didactico a Thomâ Lehmann methodo splendidissimâ scripto:  
<http://www.rzuser.uni-heidelberg.de/~d53/sansvok.pdf>

Hôc in cursu sermonis sanscriti didactico **et tirones et progressi** ratione parallelâ instituuntur. Quod facere iam semestri hiemali nobis successit feliciter. Ceterum tibi maximê commendo libellum grammaticum Manfredi Mayrhofer, c.t. **Sanskritgrammatik**.

Omnis particeps versus finem semestrâ clausurâ superatâ accipiet testimonium Humboldtianum. Ut unam ex generis humani linguis excultis maximi momenti pernoscens gaudium percipias vel maximum tibi medullitus exoptat

**Dr. Nikolaus Groß**

**Dies docendi: dies Martis, h.18.00-19:30**

**HUMBOLDT-STUDIENZENTRUM - Sommersemester 2021**  
**Altgriechische Lektüre: THEOPHRAST, Charaktere**

**Lectio palaeograeca: THEOPHRASTI Characteres**

**Exercitium interretiale Centri Studiorum Humboldtianum**

**Quod linguâ theodiscâ loquens moderabitur Dr.Nikolaus Groß**

A. 322 a.Chr.n. Aristotele mortuo Theophrastus Eresius eius discipulus atque amicus successit rector Peripati scholae philosophorum. Idem vir doctus ferebatur esse magister excellens industriâ et acumine mentis et elocutione splendidâ insignissimus. Theophrastus dicitur scripsisse plus ducenta opera, quae ad omnes disciplinas scientiae humanae spectarent. At integra nobis relicta sunt opera eiusdem non nisi duo: opus botanicum, quod ab historicis biologiae praedicatur esse primum huiusmodi ratione logicâ atque systematicâ compositum, et eiusdem philosophi Ἡθικοὶ χαρακτῆρες.

»Χαρακτήρ«, i.q. Latinê „character“, primo sensu significat formam, quâ cuduntur monetae et sigilla, sensu secundario etiam id ipsum quod est cusum. Sensu translato χαρακτήρ fit nota specialis, quâ cognoscitur aut certus homo aut certa res.

Theophrastus in hōc opere peritissimē atque accuratissimē describit triginta characteres hominum – qui omnes sunt aliquatenus scaevi aut inepti, semper ridiculi, quales personae in comoediis tam antiquis quam recentioribus solent inveniri: vir vanus, gloriosus, agrestis, adulator, blatero, parcepromus, eqs. Lectio huius theophrastei „libelli aurei“ (qualis medio aevo appellabatur) est perquam lepida et delectabilis eādemque seminarii participes semper semperque excitabuntur ad themata psychologiae et historiae civilis et philosophiae consideranda. Itaque omnes amicas amicosve litterarum graecarum medullitus invito, ut participant seminarium nostrum theophrasteum.

Participes oportet iam noverint sermonis graeci fundamenta semantica et grammatica. Omnis particeps versus finem semestris clausurâ superatâ accipiet testimonium Humboldtianum.

**Dr. Nikolaus Groß**

Dies theophrasteus:

# **DE CRYSTALLI NIVALIS STRUCTURA QUID LATINE SCRIPSERIT IOHANNES KEPLER**



**IOHANNES KEPLER**  
(1571-1630)

## **SYMMETRIA ADMIRABILIS**

*Inter omnes constat Iohannem Keplerum planetarum motionem ingeniosissimē investigavisse; at pauci tantum sciunt ab eodem etiam inventam esse structuram crystalli nivalis.*

*Iohannes Kepler* a.1571 natus est in Suebiae oppido *Weil der Stadt*, quod est viginti tribus chiliometris remotum ab urbe *Stutgardiae*. Kepler fuit mathematicus. Qui investigavit planetas, qui circa solem moventur. Illo tempore investigatores naturae cogitabant planetas moveri in orbitis circularibus. Necnon crediderunt has orbitas idealiter rotundas esse a Deo praedispositas. At Kepler invenit orbitas planetarum non esse circulos, sed ellipses. Praeterea idem decenniis ante legem gravitationis expressis verbis statutam coniecit ellipses effici aliqua vi remota soli et planetis interpositam.



Ergo Kepler putavit planetas moveri formâ ellipsis propter massarum attractionem, non formâ circuli ideali propter voluntatem divinam.



### **Kepleri animum inflamatum esse floccis nivalibus**

At inter planetarum investigationem, qua imago mundi insignissime mutata est, quodam hiemis die frigido animus Kepleri attractus est floccis nivalibus e caelo delabentibus. Si Kepler hodie viveret, fortasse cogitaret: „O malum, opus est autocinetum meum instrui canthis hiemalibus“. Quo fieret, ut praetermitteret unum ex inventis suis pulcherrimis. Nam Kepler illo die animo tranquillo crystallos nivales aspectavit et affectus est admiratione: sive fuerunt laminulae sive bacilli sive stellulae – omnes formae crystallorum nivalium fuerunt sexangulae.

Idem physicus ingeniosus symmetriam nivis sénariam escripsit in libello triginta ferē paginarum – quem noluit esse tractatum scientificum, sed donum cuidam maecenati delectabiliter scriptum. At eodem modo facta est prima omnium disquisitio symmetriae nivis senariae deque omnis flocii nivalis singularitate.



### Symmetria mirabilis


Kepler in eodem libello scribit haec: »*Laminulae glaciales. Valde planae, valde politae, valde pellucidae, chartae ferē crassitudine. Sed perfecte sexangulae. Earum latera sex fuerunt tam recta et sex anguli tam aequales, ut homini sit impossibile fabricare aliquid tam accuratum*«. Sed quare in crystallis glacialibus exoritur symmetria sénaria, Kepler quantâcumque operâ datâ explicare nescivit – nam causa est specialis forma molecularum, ex quibus aqua constat. De moleculis autem aetate suâ Kepler vix plus scivit quam de canthis autocinetorum hiemalibus.



**Forma crystallorum nivalium specialis exoritur structurâ aquae moleculari.**

# DE CONIECTURA<sup>1</sup> KEPLERIANA A THOMA HALES DEMONSTRATA




[https://de.wikipedia.org/wiki/Keplersche\\_Vermutung](https://de.wikipedia.org/wiki/Keplersche_Vermutung)




**Thomas Callister HALES**

mathematicus Texanus

(\*1958 Antoniopolis)



face-centered cubic (fcc)  
(also called cubic close packed (ccp))  
three repeating layers ABCABC....



hexagonal close-packed (hcp)  
two repeating layers ABABAB...

COMPACTIOES CUBICO-HEDROCENTRICA<sup>2</sup> ET HEXAGONALIS.

<sup>1</sup> <https://la.wikipedia.org/wiki/Coniectura>: „Coniectura in arte mathematica est enuntiatum quod volumus demonstrare; nescimus utrum verum an falsum sit. Si demonstratum et verum est, theorema fit. Exempli gratia, conjectura Goldbachiana de numeris paribus dicit omnem numerum parem esse summam duorum numerorum primorum , ut  $36 = 31 + 5$ , vel  $100 = 47 + 53$ .... ”

<sup>2</sup> \***hedrocentricus**, -a, -um i.q. theodiscē *flächenzentriert*, anglicē *face-centered*.

**Coniectura Kepleriana** est sententia, quâ Iohannes Kepler coniecit, si qui globi aequales in spatio euclideô tridimensionali densissimê essent compacti, nullum ordinem horum globorum esse maioris densitatis mediae quam compactionem cubico-faciocentricam et compactionem hexagonalem. Utraque compactio habet eandem densitatem medium, quae complectitur ferê 74% (septuagenas quaternas partes centesimas).

A.1998 **Thomas Hales** mathematicus Texanus declaravit se coniecturam Keplerianam mathematicâ ratione demonstravisse. Idem mathematicus demonstratione suâ computatrali primo non omnibus collegis persuasit. Sed ex anno 2017, quo Thomas Hales eiusque cooperatores publicaverunt demonstrationem formalem, coniectura Kepleriana habetur pro demonstratâ.

Fingas animo magnum receptaculum parvis globis aequalibus completum. Densitas ordinis globorum est ea pars voluminis receptaculi, quam complectuntur globi. Ut numerus globorum, qui receptaculo insunt, fiat quam maximus, necesse est invenire ordinem densitatis maxima ita, ut globi compingantur quam densissimê.

Experimentis factis appareat globis fortuito infundendis accipiatur densitas ferê 65% (sexagenarum quinarum partium centesimarum). At maior densitas efficitur, si globi ordinantur hōc modo qui sequitur: Ordinatio incohatur in infimo tabulato globis, qui ponuntur ratione reticuli hexagonalis. Deinde proximum tabulatum imponitur punctis tabulati anterioris profundissimis eqs. Hōc modo, ut exemplum afferamus, in mercatu exstruuntur mâla. Hōc modo fiunt genera infinitê multa globos compingendi, quorum notissima et in naturâ frequentissima sunt compactio cubico-facio-centrica et compactio hexagonalis. .

Secundum coniecturam Keplerianam hae compactiones sunt omnium optimae – nullâ compactione aliâ densitatem posse effici maiorem quam his duabus.

A.1611 **Iohannes Kepler** in opusculo suo, quod inscribitur „**Strena seu De nive sexangula**“ perscrutatus est principia constructionis mathematica **floccorum nivalium et favorum apium et seminum māli Punici**. Idem physicus ingeniosus quaesivit theoriam generalem naturae ipsius se formantis et verbis expressit non sōlum **principium compactionis densissimae**, sed etiam **principium effectū minimi**. Postquam habuit commercium epistularum cum **Thomā Harriot** Anglo mathematico et astronomo, Kepler a.1606 coepit investigare ordinem globos compingendi. Thomas Harriot amicus et adiutor fuit **Domini Valteri Raleigh**, a quo mandatum accepit, ut disquireret, quomodo globi cannonum in navibus conderentur quam optimē. Harriot a.1591 disquisitionem publicavit, in quā indicaverat varia genera globos exstruendi; in hoc problemate tractando etiam invēnit aliquod genus simulacri atomi.



### **ECCE GLOBI CANNONUM OPTIMĒ COMPACTI**

[https://de.wikipedia.org/wiki/Keplersche\\_Vermutung](https://de.wikipedia.org/wiki/Keplersche_Vermutung)

[https://www.youtube.com/watch?v=Is\\_lycvOkTA](https://www.youtube.com/watch?v=Is_lycvOkTA)

Prof. Thomas Hales - Lessons learned from the Formal Proof of the Kepler Conjecture

<https://www.youtube.com/watch?v=CROeIGfr3gs> The Best Way to Pack Spheres - Numberphile

[https://www.youtube.com/watch?v=gVIEV0NDrdc&list=PLb0zKSynM2PAuxxtMK1bxYPV\\_bUoPtpTB](https://www.youtube.com/watch?v=gVIEV0NDrdc&list=PLb0zKSynM2PAuxxtMK1bxYPV_bUoPtpTB)


Edmund Weitz: Die Keplersche Vermutung (Weihnachtsvorlesung 2019, Teil 1 von 2)

### **SYMBOLAS WIKIPEDIANAS AD CONIECTURAM KEPLERIANAM SPECTANTES IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

# IOHANNIS KEPLERI STRENA

## SEU DE NIVE SEXANGULA (I)



[\*\*https://www.e-rara.ch/zut/content/zoom/1001434\*\*](https://www.e-rara.ch/zut/content/zoom/1001434)

**IOHANNIS KEPLERI S.C. MAIESTATIS  
MATHEMATICI  
STRENA  
SEU**

**De Nive Sexangula.**

**FRANCOFURTI AD MOENUM, Anno M.DC.XI**



**AD ILLVSTREM S.C. MAIEST. CONSVLARIVM AVLICVM,  
D. IOANNEM MATTHAEUM WACKHERIVM à Wackhenfels,  
Equitem Auratum, &tc, Literatorum & Philosophorum  
Mecoenatem Dominum meum beneficum.**

**C**um non sim nescius, quam Tu ames Nihil, non quidem ob precii vilitatem, sed propter lascivi Passeris lusum argutissimum simul & venustissimum: facile mihi est coniicere, tanto tibi gratius & acceptius fere munus, quantò id Nihilo vicinus.

Quicquid id est quod aliqua Nihili cogitatione tibi allubescat, id & parum & parvum & vilissimum, & minimè durabile, hoc est, penè nihil esse oportet. Qualia cum in rerum natumulta sint, est tamen inter ea delectus. Cogitabis fortasse de uno ex Atomis Epicuri: verùm is Nihil est. Nihil vero à me habes anteà. Eamus itaque per Elementa, hoc est per ea, quae sunt in unaquaque re minima.

Primum de Terra, hoc est de Archimedis mei thesauris ne somnies, qui Terram in arenas resolvit , qui pulvisculorum dena millia possidet in uno grano papaveri. Unum enim si subtraxero Numerorum illi, Myriadumque rationes planè confudero. Adde quod huiusmodi corpusculorum figura, nec oculus videtur, nec ab Archimedea proditur.

**p.4.** Nullum igitur in iis ingenium, nulla rei non visae cupido. Est & res durabilis, pulvis ut quae trabibus vetustate subactis, carie confectis insidens dominatur. Nimium igitur dedero, hoc si dedero.

Ignis porro scintillae, etsi parvae et evanidae; nunquam tamen sunt minores arenulis pyritarum, quae conflictu deteruntur, aut strigmentis prunarum: quae iam inter pulvisculos reieci. Figurales itaque pyramidas, quas nunquam vidi, Platoni relinquo, ut ex iis arbitratu suo concinnet ignem. Veniendum ad Elementa intermedia.

Ventum & fumos dare possem, sed hi venduntur; neque hoc tantum in utribus Islandicis, sed et in chartis, quin et in verbis ideque passim per orbem terrarum. Res itaque preciosa fumus, & quae magno mihi constat. Neque haec apta ingenio, quia rudit & informis.

Ad Aquas igitur devolvimur. Haerentem in urna guttam sacrosancti vates pro re contemptissima reputant. Et Germani nostri nil minus habent illa vini guttula, quae post cyathum exhaustum super unguem excutitur, ibique haerens moles sua stat. Si hanc obtulero guttam, minus sane dedero quam ille Persa, vola manus Choaspem Regi suo affundens; honestius etiam munus vini gutta ex ungue Germani, quam derosum ramentum de ungue infrendentis & vel tantillum negantis Itali: Denique figura guttae globosa iam speculationem pollicetur geometricam: sed vereor, ne et hoc tibi sit nimium, qui tantopere delectaris Nihilo.

Quid si ad animalia fiat transitio? Vereor ut noctuas Athenas. Nuper enim apud te vidi volumina rerum singularium & rararum, eius qui ex veteri Parmenidis schola motum tollit, quia motus partem unam (scilicet praeteritam) perfectam non habet. Quo in opere cum insint monstra pleraque, haud reor de futura animalcula, prodigiosa exilitate. Quanquam nihil opus uti coniecturis. Habes animadversiones Scaligeri in Cardani subtilitates. Invenies ibi animal minimum Exercitatione CXCIV. num.7. Cuniculum subcutaneum. Est vero & hoc nimium.

Nam cum incedat hoc animalculum, anima non caret. Igitur Animam tibi cur offeram, cui etiam inanimem guttam dare refugio. Nisi forte ex sec to grassatricis bestiae cadavere nova aliqua nova aliqua deprehendi posse speras: de quo viderit Iessenius anatomicus.

**p.5.** Talia dum meditans anxie, pontem transeo, confusus super incivilitate mea, qui coram te sine strena comparuisse; nisi quod eadem perpetuo chorda oberrans identidem Nihil affero, nec invenirem, quidnam esset Nihilo proximum, quod ingenii pateretur acumen, commodum accidit, ut vaporibus vi frigoris in nivem coeuntibus, flocculi sparsim in vestem meam deciderent, omnes sexanguli, villosis radiis. Eia me Hercule, rem quavis gutta minorem, figuratam tamen, eia strenam exoptatissimam nihil amanti & dignam quam det Mathematicus, Nihil habens, Nihil accipiens, quia & de coelo descendit & stellarum gerit similitudinem.

Redeatur ad Patronum, dum durat strenula, ne corporis halitu tepido solvatur in Nihilum.

Atque en fatale nomen. O rem Wackherio gratissimam Nihil amanti. Nam si à Germano quaeras Nix, respondebit Nihil, si quidem Latine possit.

Accipe igitur hanc Nihili accessionem sereno vultu, et si sapis, animam contine, ne denuo nihil accipias.

Dicendum enim est Socrati de saltu pulicis: hoc est, Quare Nives primo casu, priusquam implicentur in maiores floccos, perpetuo cadant, sexangulae, villosis, ut pennulae, senis radiis.

Imò facessat hinc popularis contemptus inscitiaeque leno Aristophanes. Quid enim mihi opus Socrate, ipsius fabulae materia? Ipse in Regium Psalten respicio, qui inter Dei laudes commemorat, quod det nivem sicut lanam, qua voce nisi fallor expressit villosos illos nivulae meae radios. Verisimile enim est, cum sederet fessus, aut staret innixus pedo ad custodiam gregis, vidiisse & notasse stellulas hasce ni vales, in lanas ovium defluentes ibique adhaerentes.

Sed ad rem veniamus ioco misso. Cum perpetuum hoc sit, quoties ningere incipit, ut prima illa nivis Elementa figuram prae se ferant

Asterisci sexanguli, causam certam esse necesse est. Nam si casu fit, cur non aequè quinquangula cadunt aut septangula, cur semper sexangula, si quidem nondum confusa et glomerata multitudine, varioque impulsu, sed sparsa & distincta? (*Cetera sequentur*)



**OPUSCULUM  
C.T.  
STRENA SEU DE NIVE SEXANGULA  
SCRIPSIT  
IOHANNES KEPLER  
(1571-1630)  
MATHEMATICUS PHYSICUS  
ASTRONOMUS INGENIOSISSIMUS  
PARS ALTERA SEQUETUR**

# **EPISTOLIA IOHANNIS KNIJFF BATAVI INTERPRETIS MAUPASSANTIANI**

| D.08. m.Febr. a.2021, h.14:21

**Johannes Leoni s.p.d.**

En habes, Leo optime maxime, tertiam iam fabulam Maupassantiam nuperrime togatam. Cuius exitus licet tibi certe sit ignominiosissimus – mihi contra, ut verum fatear, haud iniucundus – narratiunculam omnem haud illepide narratam esse existimo. Si et tibi placuerit fabellaque versioque mea, haud parum laetabor si dignaberis eandem in *Epistula* publicando tua *Leonina*. Ceterum narratiacula Gallice scripta [hic](#) invenietur (inde a pag. 325a, nec sine binis lepidis imaginibus). Pancratice, mi bone Leo, valeas cura!

Johannes Knijff

D.Lunae, 8. m.Febr. a.2021, h. 8:35 PM :

**Leo Latinus Iohanni interpreti Maupassantii sal.pl.dic.**

Gaudenter tibi gratias ago, quod tertiam mihi misisti versionem tui Maupassantianam. Si quidem bene convertisti argumentum non obiurgabo. Utinam saltim in Epistulis Leoninis valeat vigeatque libertas sententiae dicendae. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

**Iohannes Leoni s.**

Lepide dictum pulcreque, mi Leo! Utinam vivat valeat crescat Leone duce libera hercle adhuc res publica litterarum Latinarum! Valeas quam optime! Johannes.

## RECORDATIO

*Narratiuncula a Guidone de Maupassant narrata*

*dataque in lucem 12 Kal. Iun. 1884*

*anno 137 post a Johanne Knijff in Latinum conversa.*

Ut mihi in mentem veniunt recordationes iuventutis dulci sub primi solis blanditiâ, aetatis qua bona, hilaria, venusta, inebriantia omnia! Quam sunt exquisitae recordationes pristini veris!

Memoriâne tenetis, vetuli o sodales, mi fratres, illos annos gaudio plenos quibus nihil aliud erat vita nisi triumphus risusque? Memoriâne tenetis dies illos vagandi Lutetiam circum, paupertatem nostram nitidam, ambulationes in silvis revirescentibus, ebrietates âeris caerulei oenopoliorum in ripâ Sequanae sitorum, amores tandem nostros, tam tritos tamque suaves?

Horum unum narraturus sum amorum. Actus est duodecim ante annos mihique iam tam antiquus videtur, ut actus esse videatur in aliâ vitae parte extremâ, ante viae flexum – istum flexum turpem unde subito animadverti itineris terminum.

Sextum et vicesimum tum agens annum paulo ante Lutetiam adveneram. Munere functus apud ministerium publicum dies Solis visi sunt mihi velut dies festi mirifici, fortunâ redundantes secundâ, etsi nihil unquam miri est factum.

Hisce diebus cottidie Solis est dies. Desidero autem tempus quo quaque septimanâ unus tantum erat mihi. Quam bonum erat! Sex habebam frances dispensandos! Bene mâne surrexi die illâ, sensu illô captus libertatis quem tam bene neverunt functionarii, sensu illo liberationis, quietis, tranquillitatis, quidvis faciendi facultatis.

Fenestram aperui. Tempestas quam mira! Caelum prorsus caeruleum super urbem diffundebatur, sole plenum hirundinibusque.

Veste quam celerrimê induitâ profectus sum, in silvis diem degendi cupidus; ruri enim natus inter herbas educatus sum arboribusque subter.

Somno solvebatur Lutetia, calore hilaris atque lumine. Frontes splendebant aedium; passeres ostiariorum in caveis vociferabantur; atque gaudium quoddam percurrit vias, illustravit facies, risum excitavit ubique, velut arcana animantiumque rerumque voluptas claro sub oriente sole.

Sequanam petivi ut ascenderem *Hirundinem* qua vectus *Sanctum Clodoaldum* pervenirem.

Quam placuit illa in pontone navigii exspectatio! Visus sum mihi tamquam in ultima profecturus orbis terrarum, in terras novas mirasque. Appropinquantem vidi navem illam, illic, sub arcu alterius ponti, parvulam, nube cristatam fumosâ, tum maiorem maioremque, crescentem semper; mihi iam navis tabellariae instar visa est.

Appulsam ascendi.

Iam aderant homines dominicali veste induti, ornatu insignes, vittis fulgentibus, grandibus formis coccineis. In proram ascendi unde consistens crepidines, arbores, domûs, pontes aspexi aufugientes. Atque subito animadvertei ingentem Puncti Diei viaductum flumini transversum.

Fines fuerunt Lutetiae, initium campi, atque Sequana subito, post duplicem arcuum aciem, lâtescens velut libertate donata spatioque, facta est flumen pulcrum placidum per agros fluens, sub collibus silvestribus, in mediis campis, silvarum in orâ.

Duas inter insulas progressa *Hirundo* collem flexum secuta est cuius viriditas casis albis erat plena. Vox quaedam “Moldonium” annuntiavit “Inferius,” tum paulo longius progressis “Savaram,” tandemque, paulo etiam longius, “Sanctum Clodoaldum!”

Descendi. Passis citatis viam per oppidulum in silvas ferentem secutus sum. Formam mecum portabam locorum Lutetiam circum sitorum ne errarem in semitis silvulas istas dividentibus ubi ambulare solent Parisii.

Ut fui in umbrâ, itinerario studui, quod ceterum mihi videbatur simplicitate perfectâ. Dextrorum declinandum erat, tum sinistrorum, tum rursus sinistrorum, ut vesperi Versalias advenirem cenatum.

Lentê profectus sum, novis sub frondibus, aera imbibens odorum plenum quem exhalant gemmae sucique. Placido incedebam gradu, chartarum oblitus, scriptorii, praefecti, collegarum, libellorum, somnians de rebus beatis quas non dubitabam adventurae quin essent, ignotae adhuc latentes, futuris velatae. Transivi mille pueritiae recordationes quas illi odores in animo meo excitarunt atque ibam totus imbutus venustate suavi, venustate vividâ, venustate palpitanti silvarum Iunio Sole tepidarum.

Interdum consedi iuxta ripam quandam herbosam omnia flosculorum genera spectatum quorum nomina iam pridem mihi fuerunt nôta. Recognovi omnes quasi prorsus idem essent quos olim ruri videram. Flavi erant, rubri, violacei, subtile, venusti, altis caulis levati aut humi adhaerentes. Insecta omnium colorum formarumque, densa, longiora, formae inusitatissimae, monstra horrenda exiguae, placidê ascendebant caules herbarum plicantes sub eorum pondere.

Nonnullas horas in quadam fossâ cum quievissem, iterum profectus sum recreatus, somno firmatus. Ante oculos semita patebat, cuius frons gracilior sivit ubique guttas solis humum pluere, chrysanthema alba illustrantes. Tendebatur ad infinitum vasta placidaque. Crabro tantum ingens solitarius bombizans eam secutus est, consistens interdum florem potum inclinantem sese sub illo, post momentum temporis rursus proficiscens paulo longius moratus. Corpus eius ingens videtur e gausapâ fuscâ factum radiis flavis ornatum, âlis perlucidis nimium parvis vectum.

At subito animadverti in ultimâ semitâ mortales duos, virum mulieremque mihi appropinquantes. Pertaesus ambulationis tranquillae turbatae, quia mihi visus sum ab illis vocari, volui per arbores me abdere. At tum mulier umbellam agitavit, vir, camisiâ tantum indutus, altero bracchio pallium tenens impositum alterum levavit signum auxilii rogandi.

Appropinquavi. Raptim incedebant, valde erubescentes ambo, parvis passibus citatis illa, ille longis transsilientibus. Facies eorum stomachum ostendebant lassitudinemque.

Mulier statim me interrogavit: “Mi domine, scin’ tu ubi locorum simus? Maritus meus stulte viam amisit, simulando se bene has novisse plagas.”

Evidem “O domina,” confidenter, “Sanctum Clodoaldum tendis, Versaliis a tergo.”

Illa iterum, marito oculis miseratione iratis aspecto, “Quidnam!” inquit. “A tergo Versaliae?! At prorsus illuc tendimus cenatum!”

“Et ipse, domina, illuc tendo.”

Illa umeros tollens iterum iterumque “Mecastor, mecastor, mecastor!” contemptim pronuntiavit, illo contemptu superbo quo mulieres exprimere solent animi sui exasperationem.

Iuvencula erat, venusta, fusca, subio<sup>1</sup> tenello praedita.

Quod ad illum attinet, frontem tersit sudore umidam. Coniuges procul dubio plebeii erant Parisini. Apparuit virum afflictum esse, fractum, desolatum.

“At, mea bona amica,” murmuravit, “immo tu fuisti quae...”

Illa non sivit eum finire: “Evidem scilicet fui! Ah! Egomet feci! Egon’ igitur fui quae proficisci volui sine ullis indicis, simulando me semper scire, quae esset via recta?! Egon’ fui quae dextrorum tendere volui in summâ ripâ, affirmando me viam recognoscere?! Egon’ fui quae occupavi me de Casiu...”

Vix illa loqui desiit, ut maritus eius, velut insaniâ captus, clamorem sustulit acrem longum barbarum, qui nullâ posset describi linguâ, sed sono “tiit” haud dissimillis.

Puella neque mirari neque moveri visa rursus “At, pol, re verâ,” inquit, “sunt denique homines tam stulti qui se omnia scire semper

---

<sup>1</sup> **subium**, -iī n. AUCT.de idiom.gen.580,57 K. subium, -ii n. est i.q. mystax, barbula labii superioris.

simulent! Egon' fui quae anno proximo ascendi tramen *Dieppam* ducens pro eo *Portum Gratiae* eunti, dic, tandem, egon' fui?! Egon' fui quae sponzionem feci dominum Tornatorem habitare in viâ Martyrum?! Egon' fui quae Caelestem istum furem esse credere nolui?!”

Perrexit illa furiosa, mirâ linguae celeritate, crima cumulans diversissima, necopinatissima, atrocissima, non sine exemplis ex omnibus vitae cottidianaे condicionibus privatis excerptis, omnia exprobrans mariti sui acta, proposita omnia, habitûs, conatûs omnes, vitam denique eius inde a nuptiis usque ad impraesentiarum horam.

Conatus est continere, placare illam, “At,” balbutiens, “amica mea cara... inutile quidem... coram ecce domino... Spectaculo sumus... Nihil ad huncine dominum r efert...”

Vertit ille oculos lamentabiles dumetum versus, velut metiri vellet profunditatem eius arcanam placidamque, in illud se iactum, fugitum, occultatum ab omnium oculis; atque h ic illic alium tollit clamorem, “tiiit” quoddam prolongatum acrius. Istum morem morbo animae effectum esse credidi.

Subito puella, se vertens ad me, sono vocis stupendâ cum celeritate immutato “Nisi,” inquit, “repugnaveris, mi domine, unâ tecum ambulabimus ne iterum erremus neve in silvâ dormiendum sit nobis.”

Inclinavi; bracchio meo sumpto illa orsa est mille de rebus, de se, de vitâ, de gente suâ, de negotio suo. Erant enim illi digitabulorum opifices viae Sancti Lazari.

Maritus eius iuxta ambulabat, continenter dumeta inspiciens atque “Ttit!” iterum iterumque vocans.

Tandem eum interrogavi: “Quorsum ita clamas?”

Mente turbatus desperatusque “Misellum,” inquit, “canem amisi meum!”

“Quidnam? Canemne amisisti?!”

“Sic. Vix annum natus erat. Numquam e tabernâ exierat. Volui eum mecum ducere in silvam ambulatum. Nullâ herbâ, foliis nullis ante visis velut amens factus est. Latrans currere coepit inque silvâ evanuit. Dicendum est eum multum timere ferriviam, qua de causâ fortasse factum est ut viam amitteret. Nihil profuit vocare eum, non revénit. Fame ibi morietur.”

Puella sese ad maritum non vertens “Nisi,” articulavit, “vinculum solvisse, factum non esset. Vir, qui tam stultus est quam tu canem habere non debet.”

Ille autem timidê “Immo tu,” murmuravit, “mea cara amica, fuisti quae...”

Illa planê constitit atque oculos eius aspiciens quasi eosdem vellet viro evellere, rursus coepit innumerabilia in eum iactare opprobria.

Advesperavit. Velum nebulae campum vesperi operiens lentê se pandit; carmen vagabatur factum e sensu frigoris singularis iucundique quod silvas replet nocte appropinquante.

Subito adulescens constitit atque corpus febriculosê tractans “Per Deum,” inquit. “Credo quidem...”

Illa eum aspexit. “Dic tandem!”

“Non bene curavi pallium de bracchio pendens.”

“Quid ergo est?”

“Crumenam amisi... cui inest pecunia.”

Fremens illa irâ suffocavit indignationem.

“Accedit etiam istud! Quam stultus es! At quam es stultus! Num fieri potest ut aliquis nubat idiotae?! Bene quidem, quaesitum ito atque fac cures invenias! Equidem Versalias petam hôcine domino comitante.”

Parvâ voce “Certê quidem,” ille, “mea amica. Quo ergo loco te inveniam?”

Nescio quis popinam mihi commendaverat. Quam indicavi.

Maritus se vertit atque inclinatus ad terram anxiis quam lustrabat oculis “Ttit!” iterum iterumque clamans discessit.

Longum fuit evanescere; umbra crassior procul in semitâ obscurabat eum. Mox forma corporis cerni iam non potuit; at diu adhuc audiebatur illud eius “Tit tit! Tit tit!” lamentabile, eo acutius quo nox facta est atrior.

Equidem cito gressu incedebam laetoque passu in crepusculi dulcedine, mulierculâ illâ comitante ignotâ, quae bracchio innitebatur meo.

Verba quaesivi elegantia, invêni nulla. Tacitus, turbatus, summâ perfusus voluptate remansi.

Ecce autem subito via principalis transversa. In parte dextrâ oppidum animadverti non ita parvum in valle situm.

Qui vicus ergo hic??!

Vir nobis obvius fuit. Interrogavi eum. Respondit: “Burgivallis.”

Valde miratus sum. “Qui, Burgivallem?! Certê quidem?!”

“Certo hercle certius!”

Muliercula velut amens ridebat.

Raedam conducere proposui Versalias petitum.

“Nolo me castor! Nam nimis ridiculumst atque pol nimium esurio. Ceterum nihil sollicitor; iste meus maritus semper iter expedit. Nil nisi beneficium mihi erit paucas horas isto levari.”

Popinâ igitur in ripâ fluminis sitâ intratâ cenaculum conducere ausus sum privatum.

Illa hercle maximê inebriebatur, canebat, vinum bibebat spumans, omnia tandem amentiae gessit genera – necnon omnium maximum.

Primum fuit adulterium meum.

**HANC  
NARRATIUNCULAM  
A GUIDONE MAUPASSANT  
NARRATAM  
IN LATINUM CONVERTIT  
IOHANNES KNIJFF BATAVUS**



## CORIGENDA ET SUPPLENDIA

Doleo, quod in versione meâ, c.t. “Narratiunculae pueri male môrati” (EL 226, p.9-15) scribendâ saepius erravi. p. = pagina, inc. = incisum, lin. = linea.  
Ignoscas, quaeso, cara Lectrix, care Lector, negligentiam meam.

EL 226, p.10, inc.8, lin.2: Iosephulus avunculus et matertera (non:  
patruus et amita)

inc.9, lin.1: materterâ (non: amitâ)

p.12, inc.1, lin.2: tantulum salarium (non: tantulo salario)

inc.3, lin.4: tantâ cum negligentiâ (non: - a.... -a)

inc.5, lin.1: Sacculo (non: Saculo)

inc.10, lin.2: avunculo (non: patruo)

p.14, inc.9, lin.2: Stephaniam (non: Theophaniam)

p.15, inc.2: Stephania (non: Theophania)

inc.4, lin.2: Fridericae (non: Firdericae)



## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAЕ</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM VICESIMAM SEPTIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Dominicâ, 14. m. Febr. a. 2021**

**Dr. Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

